

# **Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 5**

Carolus gracia dei rex Francorum et Longobardorum vir inluster omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus nostris Franciae Longobardiae. Coniunctis Carisiago palacio publico nostro senedum inigentis ibique veniens vir venerabilis dominus et apostolicus Lullo' Mogonciae episcopus nobis innotuit, eo quod cenubium aliquo infra regna nostra vasto in loco que dicitur Haireulfisfelt super fluvium Fulda monasterium aedificasset in sua proprietate in honore beatorum apostolorum Simonis et Tathei et ibi normam monachorum constituisset et sub instituta patrum eos ibidem conlocasset, et illo monasterio una cum rebus suis ad se pertinentibus in manibus nostris tradidit, qualiter sub nostram tudicionem filiorumque nostris et genelogia nostra adesse debuisset. Expeditivit nobis predictus pontifex, ut nullus archidiaconus aut missus episcoporum Mogonciae, Austriae, Toringiae ipsum monastirium nec abbatem, qui ibidem institutus fuerit, per preceptum et iussionem regum episcopus aut archidiaconus in rebus eorum mansionaticus preparandum nec faciendum neque comis neque iudex publicus neque missi nostri discurrentis in vilabus eorum nec in rebus eorum se presumant aliquid contingere neque mansionaticus preparandum nec nullum impedimentum eos facere presumant, nisi sub nostra defensione et priolegium patrum instituta niminem aliquis episcoporum aut archidiaconus eorum ad ipsa casa dei monachus ibi institutis preiudicium et legem canonicam eos contangere non presumat. Et quandoquidem abbas de ipso cenubio de hac luce migraverit, tunc ex nostra auctoritate licenciam habeant secundum canonicam et regule sancti Benedicti sibi abbatem instituere de ipsa congregacione et, si ibidem minime repertus fuerit, qui in ipso loco condignus ascendere non possit, tunc sibi ipsa congregacio de qualemcumque casa dei abbatem regularem spiritualiter elegere voluerint, licenciam habeant et nullus episcoporum neque aecclasiasticorum neque de successoribus nostris nec nulla iudiciaria potestas licentiam habeant hunc priolegium et instituta patrum et confirmatione nostram seu cessionem inrumpere. Pontificium non habeant, ordinacionis vero et tabulas benedicere absque munuscula episcopus de Mogonciae absque munuscula tribuere debeat. Et si in ipso monasterio aliqua deescordia evenerit, tunc ipsi abbas et monachi de alia monasteria regularem abbatis et episcopum canonicum, in quo loco eos convenerit, coniugant, et ibi spiritualiter ad pacis concordia sint revocati; et si ibidem, quod absit, se pacificare non potuerint, tunc ad senedum nostrum venire debeant. Et ut haec auctoritas firmior habeatur et per tempora melius conservetur, manu nostra decrevimus roborare et de anulo nostro iussimus sigillare. Signum Caroli glorissimi regis. Hitherius recognovi et : Hitaerius subscrispi Hitaerius subscrispi. Datavi in anno VII regni nostri sub die nonas ianoarias; hactum ad Cariciaco palatii publici; in dei nomine feliciter.